

S. Petri in sequentem diem Dominicam transfertur. Ita porro se habet: *In Congregatione generali sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis, habita in conventu Sanctae Mariae supra Minervam, coram Em. et Rev. S. R. E. Cardinalibus, contra haeticam pravitatem generalibus Inquisitoribus proposita scripta instantia, et praehabito voto Dominorum consultorum, iidem Em. ac Rev. Domini rescribi mandarunt, ieiunium in pervigilio festivitatis Sanctorum Apostolorum esse servandum (25. Maii 1853.).*

Quamvis autem ex multiplici decisione S. C. ieiunium a supradictis fidelibus servari debeat, non quidem in ipso pervigilio S. Petri, sed Sabato immediate praecedente Dominicam, ad quam remittitur Solemnitas SS. Apostolorum; attamen, si festum SS. Apostolorum ipso Sabbato occurrat, tunc *pridie* seu *feria VI.* ieiunabitur. Ita decisum a S. C. Concil. 22. Sept. 1858.

TRACTATUS DE IUSTITIA ET IURE

Tanta est tractationis, quam aggredimur, de iustitia et iure necessitas, ut ea inter praecipuas theologiae moralis partes merito reponenda sit: tanta vero difficultas, ut nisi perspicuitas et ordo laborem levent, in plurimis ad hanc materiam pertinentibus vix quisque sese possit expedire. Iustitia enim latissime patet, ac plurima amplectitur iura et officia, quibus humanae societatis membra invicem devinciuntur. Quanti vero momenti haec tractatio sit, ex eo apertum est, quod hisce praesertim temporibus homines multos videre est sua profundere, aliena invadere, iura omnia subvertere, ut iugem voluptatum famem exsaturare possint. Quibus infestissimis Reipublicae malis ut Ecclesiae ministri medeantur, regulas iustitiae et iuris apprime callere debent. Ipsorum enim est aberrantes ad recta principia revocare, et iurium officiorumque aequitatem summo zelo curare. Quamobrem in hac potissimum tractatione versanda ferventi oratione assiduoque studio utendum est.

Agendum 1^o de natura et principiis iustitiae et iuris; 2^o de violatione iuris, sive de iniuria; 3^o de reparatione iuris, seu de restitutione.

PARS PRIMA

DE NATURA ET PRINCIPIIS IUSTITIAE ET IURIS

CAPUT I.

DE NOTIONIBUS GENERALIBUS IUSTITIAE ET IURIS.

ARTICULUS I. — DE NATURA IUSTITIAE.

§17. — DEFINITIO. Iustitia latiori sensu (1) significat aliquam aequalitatem, vel charitatem, aut virtutum universalitatem. Sic Christus ait *Matth. 5. 6. : Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam!* In strictiori autem

(1) Advertunt communiter DD., *iustitiae* nomen multiplici sensu usurpari etiam in sacris litteris, ut interdum significet 1^o omnium virtutum complexum, 2^o cha-

ritatem seu gratiam sanctificantem, 3^o generatim actum rectum, 4^o quemlibet habitum bonum, 5^o denique virtutem specialem e quatuor cardinalibus.

sensu (2) est virtus moralis constanter inclinans voluntatem ad ius suum alteri reddendum. De iustitia sic accepta nobis agendum est.

Iustitia itaque specialis virtus est, quae debiti (3) solutionem urgere, et debitam aequalitatem inter omnes et singulos homines servare intendit. Ad ipsam igitur pertinet iniuste ablata restituere, damnificata reparare, a fraudibus abstinere, fidem datam in pactis custodire, et cuique ius suum integrum servare.

Dicitur in definitione, *alteri*; quia iustitia est semper *ad alterum*, atque adeo requirit personarum diversitatem; nemo enim iustus erga seipsum dici potest, neque sibi facere iniuriam, quae est laesio iuris altero invito. — Lugo, disp. 1. n. 10. (4).

§18. — *Divisio*. Iustitia quadruplex distinguitur, scilicet legalis, distributiva, vindicativa, et commutativa (5).

1^o Iustitia *legalis* (6) inclinatur quemque ad ius suum reddendum so-

(2) Communiter a DD. recipitur definitio ab Ulpiano tradita: *Iustitia est constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi*. Vide S. Thomam, qui (2. 2. quaest. 58. art. 1.) singulas eiusdem partes explicat.

(3) Nimis vaga est vox *debiti*; nam et Deo, v. gr. cultum, et parentibus obedientiam *debet* homo; nec tamen ad haec *debita* solvenda urget virtus *iustitiae*. Aliqua tamen ratione sensum A. constringit per verba mox sequentia.

(4) *Infero* (inquit Lugo) *iustitiam* semper esse *ad alterum*, ut docet S. Thomas q. 58. a. 2. *Nemo enim potest sibi ipsi inferre iniuriam aut reddere debitum sicut nec potest sibi proprie debere, cum nihil possit facere, nisi volens: scienti autem et volenti non potest fieri iniuria neque dolus*. Exinde cum *inter patrem et filium* (ut idem Lugo subdit ibid. n. 31.), *quatenus pater et filius sunt, non detur cum rigore alteritas et diversitas quanta ad iustitiam requiritur, nam filius videtur esse pars patris, et quasi alter ipse*; ideo inter eos, qua tales, deficit ratio seu debitum iustitiae; et generatim quantum ista personarum distinctio seu diversitas deficere videtur, tantumdem a perfecta iustitiae ratione disceditur.

(5) Sunt, qui ut quemdam inter diversas hasce iustitias ordinem statuunt, primo quidem duplicem eam esse affirmant: aliam, quae hominem ordinat erga communitatem, hanc autem esse *legalem* seu *generalem*; aliam vero, quae ordinat erga alios particulares seu privatos, et istam cum Aristotele et S. Thoma *particularem* nuncupant; deinde vero hanc postremam in alias ita dividunt, ut alia *commutativa* sit, alia *distributiva*, et insuper alia *vindicativa*. Verum in hisce omnibus nullatenus reperire est partitionem alicuius generis in species; sed unum habes, in quo perfecta iustitiae ratio invenitur, et *iustitia presse sumpta* seu *commutativa* dicitur; reliqua autem cum in aliquo a priori deficiant, quidpiam tamen quasi per analogum ab illa participant, unde et iustitiae *secundum quid* appellari solent. Vid. Valentia (Tom. 3. Disp. 5. Punct. 2.), et Lugo (*De Iust.* Disp. 1. n. 50. 68. et 70.).

(6) Iustitia legalis (ut habet Lugo *De Iust.* Disp. 1. n. 62.) *virtus est specialis, qua quis fertur in bonum reipublicae seu communitatis, cuius ipse est pars*.

Materiale huius virtutis obiectum est quilibet actus honestus, seu, ut loqui DD. solent, actus omnium aliarum virtutum; unde ei inditum nomen est etiam iustitiae

cietati, cuius est pars, seu Principi ius suum propter bonum commune. Hinc subditum ad communitatem velut partem ad totum ordinatur. Vocatur *legalis*, quia habet pro obiecto id, quod debetur communitati iuxta legem naturalem vel positivam.

2^o Iustitia *distributiva* inclinatur Superiorem eiusve ministros ad *ae-*

generalis. Ut enim inquit S. Thomas (2. 2. q. 58. a. 5.), *bonum cuiuslibet virtutis... est referibile ad bonum commune, ad quod ordinatur iustitia* (scilicet legalis). *Et secundum hoc actus omnium virtutum possunt ad iustitiam pertinere, secundum quod* (haec) *ordinatur hominem ad bonum commune. Et quantum ad hoc iustitia dicitur iustitia generalis*.

Obiectum autem *formale* in eo residet, quod haec virtus actus aliarum virtutum, actus nimirum quosvis honestos, imperet, et ordinet ad finem sibi proprium, nempe ad bonum commune. Unde S. Thom. (2. 2. q. 58. a. 6.): *Iustitia legalis est quaedam specialis virtus secundum suam essentiam, secundum quod respicit commune bonum, ut proprium obiectum*.

Appellatur porro iustitia *legalis*, quia legis praesertim est ordinare ad bonum commune. Quia (ita S. Thomas l. c.) *ad legem pertinet ordinare ad bonum commune, inde est, quod talis iustitia, praedicto modo generalis, dicitur iustitia legalis; quia scilicet per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune*.

Illud autem singulare haec iustitia habet, ut non omnino et perfecte sit *ad alterum*. Ut enim habet S. Thomas (2. 2. q. 58. a. 5.), *Omnes, qui sub communitate aliqua continentur, comparantur ad communitatem sicut partes ad totum: pars autem id, quod est, totius est*. Et Card. De Lugo (*De Iust.* Disp. 1. n. 68.): *Communitas non distinguitur a suis membris, ut constat; et ideo non ita respicit bonum commune, ut*

Comp. Theol. Mor. — Tom. I.

praescindat a bono operantis, sed potius ideo illud respicit, quia censetur esse bonum etiam ipsius operantis, sicut bonum corporis est bonum membrorum: iustitia autem proprie respicit bonum alterius praescindendo omnino ab utili meo. Atqui ex omnium sententia iustitia proprie dicta non est nisi inter ea, quae ita sunt invicem distincta, ut unum non sit aliquid alterius. Quocirca addit (ibid.) Lugo: *Sicut pietas erga parentes non est proprie iustitia, quia non respicit perfectam alteritatem requisitam ad iustitiam; a fortiori idem erit in praesenti* (scilicet iustitia legali).

Et ex hoc patet, iustitiam legalem non apte confundi cum officiis aut pietatis aut formalis obedientiae erga principem; non modo enim plane diversa sunt harum virtutum motiva, sed insuper distinctio, quae intercedit subditum inter et principem, non adest inter civem et communitatem, cuius pars est; et officia subditi in solum principis bonum tendunt, dum quae civis in communitatem confert, in eiusdem civis, utpote partis communitatis, bonum conferuntur. Quinimo et ipse princeps, utpote communitatis membrum, ad ipsam seu pars ad totum per legalem iustitiam ordinatur, licet paulo aliter ac subditus. *Iustitia legalis* (ait S. Thom. 2. 2. q. 58. a. 6.)... *respicit bonum commune, ut proprium obiectum. Et sic est in principe principaliter et quasi architectonice* (quia nempe modum conferendi ad bonum commune praescribit), *in subditis autem secundario et quasi administrative*.

qualem (7) seu iustam distributionem onerum et honorum. Hinc ordinat communitatem seu Superiorem ad subditos, velut totum ad partes (8).

3^o Iustitia *vindicativa* inclinatur Principem ad fontes poenis congruis pro societatis bono plectendos. Consistit igitur in congrua punitione reorum in bonum publicum (9).

4^o Iustitia *commutativa* inclinatur voluntatem ad ius suum strictum unicuique privato reddendum, servando aequalitatem rei ad rem. Haec spectat tantum privatos, ut a se invicem distinctos (10). Vocatur autem *commutativa*, quia circa commutationes et contractus praecipue versatur. De hac sola agemus, quia sola presso sensu nomen iustitiae sibi vindicat (11).

ARTICULUS II. — DE NATURA IURIS.

519. — DEFINITIO. Nomine *iuris*, presse sumpti, et quod ad praesens attinet, intelligitur vel id, quod alteri debetur, *iustumque* dici solet aut

(7) Discrimen inter aequalitatem *distributivae* iustitiae propriam, et propriam *commutativae* sic innuit Lugo (*De Iust.* Disp. 1. n. 45.) iuxta communem doctrinam desumptam ex Aristotele et S. Thoma: *Iustitia distributiva* (inquit) *in suo obiecto quaerit aequalitatem secundum proportionem geometricam, non secundum arithmetica, hoc est, attendit ad aequalitatem inter duas proportiones: nam commutativa respicit aequalitatem inter rem et rem, quae dicitur aequalitas arithmetica: distributiva vero attendit ad aequalitatem proportionum; ut si sunt duo, quorum unus habet meritum ut quatuor, alter ut octo, posterior excedat priorem in distributione secundum duplum, ita ut si prior accipit viginti, posterior accipiat quadraginta.* Videsis haec fusius proposita apud S. Thomam (2. 2. q. 61. art. 2.).

(8) Sed tamen *iustitia distributiva* est etiam in subditis, quibus distribuitur, in quantum scilicet sunt contenti iusta distributione. S. Thom. 2. 2. q. 61. art. 1. ad 3.

(9) Communius DD. *vindicativam* non habent uti quartam iustitiae speciem; sed eam ad *legalem* revocant, quatenus aut

superior crimina ulciscendo prospicit bono communi, aut privatus eodem affectu punitionem criminum exoptat, seu exigit; ad *distributivam* vero, quatenus congruas criminum gravitati poenas infligit; denique ad *commutativam*, quatenus ex officio iudex tenetur delicta punire, non secus ac custos tenetur furem arcere, itemque non graviolem, quam res aut lex ferat, poenam crimini infligere.

(10) Hoc nimis generaliter efferi videtur. Nam plane *iustitiam commutativam* laedet, etiam qui publico aerario damnum inferat: itemque contra *iustitiam commutativam* peccabit princeps, qui inaequaliter onera distribuat, aut qui poenam citra demeritum infligat.

(11) Iustitia scilicet *distributiva* a propria et stricta iustitiae ratione in eo deficit, quod non respiciat ius stricte sumptum; et ideo, ut infra dicitur, eiusdem laesio per se non infert onus restitutionis. *Legalis* vero a iustitia proprie dicta etiam in eo discedit, quod non sit, ut diximus, omnino *ad alterum*: neque enim communitas a membris suis distinguitur, atque adeo haec iustitia non ita respicit bonum commune, ut a bono operantis praescindat.

aequale (12), et sic est obiectum, quod iustitia intendit, quodque ipsa cuique tribuit; vel accipitur pro titulo, quem iustitia respicit ex parte alterius, seu propter quem vult suum cuique tribuere, et sic est *potestas ad aliquid* obtinendum, aut possidendum. Quae duae significationes cum sint correlativae, propterea penes quosdam nomen obtinere iuris *passivi* et iuris *activi*, priori forma significando, quod debetur, posteriori autem rationem seu titulum debiti sive exigentiae (13).

520. — Sensu autem latiori vox *ius* sumitur 1^o pro peritia legis seu iurisprudencia; 2^o pro lege seu regula iusti (14), et sic dicitur ius naturale, positivum, divinum, humanum, civile, canonicum, ius gentium, etc.; 3^o pro sententia iudicis, et inde vox *iudex*, quasi ius dicens; 4^o pro re

(12) Ea de re Sotus (*De Iust. et Iur.* lib. 3. q. 1. art. 1.): *Crediderim per apocopen, hoc est amputationem syllabae in fine dictionis iustum dictum, esse ius.. Unde graece δίκαιον idem promiscue significat, quod iustum et ius.* De qua Soti coniectura quiddam demum quis censeat, hoc tamen plane constat, *ius* (δίκαιον) ex Aristotelis sententia sic appellari propter aequalitatem rei cum re, cuiusmodi aequalitatem ait quodammodo exurgere inter binas partes cuiuspiam rei bifariam divisae: quinimo ex bifaria hac in aequales partes partitione originem seu etymon vocis τοῦ δικαίου (iuris seu iusti) deducit. Sic enim ipse (*Ethic.* lib. 5. cap. 7.): *Τὸ δὲ ἴσον μέσον ἐστὶν μείζονος καὶ ἐλάττονος κατὰ τὴν ἀριθμητικὴν ἀναλογίαν διὰ τοῦτο καὶ ὀνομάζεται δίκαιον, ὅτι δίχα ἐστὶν ὡσπερ ἂν τις εἴποι δίκαιον καὶ ὁ δικαστὴς δίχαστής.* *Aequale autem medium est inter maius ac minus arithmetica proportione; propterea etiam appellatur iustum seu ius, quia bifariam sit, perinde ac si quis diceret in duo aequalia divisum, et iudex veluti bipartitor (qui scilicet in duos aequales partes dividit).*

(13) Videndus omnino Card. De Lugo (*De Iust.* disp. 1. n. 5.), ubi fuse rationem reddit, cur *ius illud, quod respicit*

iustitia, et quod significamus, quando dicimus meum et tuum, reponendum sit in praelatione quadam morali, qua hic homo praefertur moraliter alius in usu talis rei propter peculiarem connexionem, quam res habet cum eo, et propter quam res tota debet ad eius utilitatem referri et ordinari. Et huc spectare videtur, quod A. in definitione iuris addidit ea verba, *in proprium commodum.*

(14) Sunt, quibus minus arridet, legem nomine *iuris* significari sensu quodam latiori; quippe *ius* putant potius a *iubendo* dictum, quasi *iussum* per apocopen imminutum, atque adeo sensu maxime proprio *ius* pro *lege* accipi. Levissimi est haec quaestio momenti. Auctor autem communem secutus est DD. sententiam, quam S. Thomas (2. 2. q. 57. art. 1. ad 2.) sic exponit: *Sicut eorum, quae per artem exterius fiunt, quaedam ratio in mente artificis praeeexistit, quae dicitur regula artis; ita etiam illius operis iusti, quod ratio determinat, quaedam ratio praeeexistit in mente, quasi quaedam prudentiae regula: et hoc si in scriptum redigatur, vocatur lex. Est enim lex secundum Isidorum Constitutio scripta; et ideo lex non est ipsum ius, proprie loquendo, sed aequalis ratio iuris.*

quae alteri ex quovis titulo debetur, et tunc est ius passivum, seu iuris obiectum; 5^o pro ipso titulo rei debita: sic, v. gr. iurisdictio dicitur ius Superioris ad obedientiam (15).

521. — *DIVISIO.* Ius praecipue dividitur in ius in re, et ius ad rem.

1^o Ius *in re* illud est, quod quisquam habet in re iam *sua* et possessa (16), id est quae ita illi est devincta, ut possit de ea pro lubito disponere. Tale est ius emptoris in re empta ex Iure Gallico, et empta atque tradita ex Iure Romano. Hoc ius confert actionem realem, quae scilicet rem ipsam immediate attingit: quocirca quisquis hoc iure gaudet, rem suam repetere potest quocumque transierit.

2^o Ius *ad rem* illud est, quod quis habet, *ut res fiat sua*. Dat enim actionem personalem, id est directe attingit personam, quae dat facultatem (17) alteri rem contractam a se exigendi, et iudicio prosequendi, nisi velit facere vel dare quod debet: unde dicitur ius personale, quia personam immediate attingit.

Contractus (18) *promissionis* confert tantum ius *ad rem*. *Titulus* item emptionis ex Iure Romano ante rei traditionem confert tantum ius ad rem. Ex Iure novo Gallico solus partium consensus conficit contractum venditionis, seclusa rei traditione, et consequenter dat ius in re. *Cod. civ.* art. 1583. (*). Excipe casum particularem, in quo res *mobilis*, vendita et non tradita, secundo emptori bonae fidei collata fuisset; tunc enim solum ius ad rem haberetur. — *Cod. civ.* art. 1141. (**).

(15) Gregorius Valentia (*Comment. Theol.* tom. III. disp. V. q. I. punct. 1.) novem sensus enumerat, quibus vox *Iux* a iuriconsultis usurpata reperitur; qui tamen omnes cognitionem habent cum sensu primario, quod sit *iustitiae obiectum*. Ac proinde inter eos nequaquam iuvenies *ius superioris ad obedientiam subditorum*; quippe obedientia ad iustitiam nihil pertinet, sed partibus iustitiae, quas *potentiales* vocant seu *potestativas* (Vid. S. Thomas. 2. 2. q. 80. a. 1.), accensetur.

(16) Possessio non est necessaria ad ius *in re*, quod perdurat, etiamsi rem fur abstulerit et actu possideat. Hinc etiam A. subdit, dominum posse rem suam repetere. Insuper dum A. hic *rem suam* nominat, illud *suam* intellige tum quoad dominium *plenum*, tum etiam quoad *semiplenum*, sive hoc sit *directum* seu *proprietas* sive mere *utile*.

(17) Voces istae paulo obscuriores sunt et quodammodo sensum nimis coarctant. Nam v. gr. datur actio *personalis* in damnificatorem, qui rem destruxit; minus autem proprie diceres, damnificatorem *dare facultatem a se exigendi*, etc.

Clarius alii: Ius *in re* tunc adest, cum res ipsa habetur sibi obligata, atque adeo tribuit rei vindicationem, seu actionem in rem ipsam. Ius autem *ad rem* tunc habetur, cum cuius ius seu potestas acquisita est rem sibi obligandi, et ideo tribuit tantum actionem personalem contra abnuentes seu impediens rei ipsius acquisitionem.

(18) De his praemutare heic adnotatis suo loco melius agetur.

(*) Ita et C. C. italicus art. 1448.

(**) Hunc articulum C. G. quo disponitur, ut res *mobilis* duobus successive vendita, illius sit emptoris maneatque in eius proprietate, cui tradita est, etiamsi

ARTICULUS III. — DE PRINCIPIIS GENERALIBUS IURIS ET IUSTITIAE.

§. 1. *De principiis generalibus iuris.*

PROPOSITIO I. (19).

Deus solus est vere et absolute Dominus rerum omnium.

522. — Res perspicua est. Etenim Deus solus est vere et absolute omnium Dominus, cum ab ipso solo res omnes suum esse, existere, agere, conservari ac perfici habeant. Hinc *Ps.* 23. 1. dicitur *Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.*

Hinc 1^o Nullum ens creatum potest esse vere proprietarium respectu Dei; cum nullum ens creatum sit independens a Deo, et quidquid sit et habeat, a solo Deo repetere debeat.

2^o Nullum propterea ens creatum potest uti re qualibet tanquam absolute sua; ens enim creatum non est principium existendi erga ens aliud creatum, sed omnia sunt absolute Dei solius.

3^o Proinde ius proprietatis enti creato inesse nequit, nisi a solo Deo; secus enim ens creatum habere posset aliquid ab alio ente independente a Deo, quod absolute repugnat. — Lugo, disp. 2. n. 4.

PROPOSITIO II.

Homo potest esse proprietarius erga alium hominem.

523. — *Prob.* Homo potest esse proprietarius respectu aliorum, si nihil obstet neque ex parte ipsius hominis, neque ex parte obiectorum possidendorum, neque ex parte Dei. Atqui haec certa sunt. Ergo...

1^o *Ex parte hominis.* Etenim homo quilibet quoad esse suum est independens ab alio homine; individuus enim quilibet a solo Deo esse suum recipit et recipere potest; ergo a nullo alio impediri potest, quin proprietarius fiat.

2^o *Ex parte obiectorum.* Quia dantur obiecta 1^o de se apta ad providendum sive necessitatibus, sive iustis vitae oblectamentis, qualia sunt

eius titulus emptionis tempore sit posterior, dummodo hic sit in bona fide (ignoret nempe contractum priorem): el. Allegre (le Code Civil commenté) declarans, ait, non ipsum inniti principio, quod traditio necessaria sit ad translationem dominii (quod Codex negat): sed simpliciter applicare principium, quod *cum de mobilibus agitur, possessio aequivalet ti-*

tulo (art. 2879.). Porro eadem est dispositio C. Ital. art. 1126. tum si res sit mobilis tum si id sit quod dicitur *titolo al portatore*. Manere autem priori emptori ius ad damni, si quod subiit, reparationem, lex ipsa naturalis docet.

(19) Paulo operosius his Auctor immoratur ob speciales Galliae necessitates communistarum dementia inductas.